Fragmentarium

ttatuideant; Isto igitur loco causarum explicato . ex earum differentia
in magnis quidem causis . vel oratorum . vel philosophorum magna argumentorum sup
petit copia; In privatis autem si non uberior . at fortasse subtilior . Privata
enim iudicia maximarum quidem rerum in iuris consultorum mihi videntur esse
prudentia . Nam et adsunt multum . et adhibentur in consilio et patronis diligen
tibus ad eorum prudentiam confugientibus hastas ministrant . In omnibus igitur his
iudiciis in quibus ex fide bona est additum . Ut inter bonos bene agi oportet ;
Inprimisque in arbitrio rei uxoriae . in quo est . quid eius melius aequius para
ti esse debent . Illi dolum malum . illi fidem bonam . illi aequum bonum . illi quod
socium socio . quid eum qui negotia aliena curasset . ei cuius ea negotia fuisset .
quid eum qui mandasset . eum . vel cui mandatum esset . alterum alteri praestare opor
teret . et quid virum uxori quid uxorem viro tradiderit ; Licebit igitur
diligenter cognitis argumentorum locis non modo oratoribus et philosophis . sed iuris
etiam peritis copiose de consultationibus suis disputare . Coniunctus
huic causarum loco ; locus ille est . qui efficitur ex causis . Ut enim causa quid
sit effectum indicat ; sic quod effectum est ; quae fuerit causa demonstrat .
Hic locus suppeditare solet oratoribus et poetis saepe etiam philosophis .
Sed his qui ornate et copiose loqui possunt ; mirabilem copiam dicendi
denuntiant . quid ex quaque re sit futurum . Causarum enim cognitio ; cogni
tionem eventorum facit ; Reliquus est comparationis locus ; cuius genus et e
xemplum supra positum est ; ut ceterorum nunc explicanda tractatio est . Com
parantur igitur ea quae aut maiora aut minora aut paria dicuntur . In quibus expec
tantur haec ; numerus . species . vis . etiam ; quaedam etiam ad res aliquas affectio
Numero ; sic comparabuntur plura bona ut paucioribus bonis anteponantur ;
pauciora mala malis pluribus . Diuturniora bona brevioribus . longe et
late pervagata angustis . Ex quibus plura bona propagentur quaeque plures imitentur
et faciant . Specie autem comparantur . ut anteponantur quae propter se expetan
da sunt . his quae propter aliud . et ut innata atque insita ; assumptis et adven

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. C 219, 1_8r – A) Cicero: Topica; B) Annaeus Florus: Epitome Bellorum Romanorum; Livius: Periochae; C) Juvenal: Saturae, cum glossis; D) Augustinus (Pseudo-): Categoriae [= Paraphrasis Themistiana] (https://fragmentarium.ms/view/page/F-yuic/5321/50578)